



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.


Google™ books

<https://books.google.com>



ISS. 4
133 14
RESOLUTIONES

EX
UNIVERSO IURE, NATURALI,
ECCLESIASTICO TUM PUBLICO,
TUM PRIVATO, CIVILI,
NEC NON
EX
IURE PUBLICO IMPERII
ROMANO GERMANICI,
FEUDALI ET CRIMINALI
PER BIENNIVM
IN CELEBERRIMO, ANTIQUISSIMO, AC EXEMTO MONASTERIO
AD QUERCUM SUPERIOREM
EXPLANATAE,
NEC NON SUB
PRAESIDIO
P. CORBINIANI DIEMER ibidem professi,
ac p. t. SS. Can. & Theologiae moralis
Professoris publicae Concertationi
expositae
A Rev. Rel. ac perdocto F. GEORGIO SCHNELLER
eiusdem Loci professo, ac SS. Theologiae, & SS. Can.
Candidato.
Mense Augusto. Die 2^o 9
Anno a partu Virgineo 1768.
CUM SUPERIORUM PERMISSU.
STRALBINGAE, typis Calliani Betz.



§. I.

Ex Iure naturali & gentium.

I.

Quamquam pro Iuris naturalis, quod DEUM authorem adorat, existentia sacrae Scripturae authoritas, communis gentium moratorum consensus, ac ipsa denique hominis ratio invicte pugnant:

II.

Non tamen defuere, qui Ius naturae aut in dubium vocare, aut omnino proterve impugnare ausi sunt.

III.

Hos inter facile eminet HOBESIUS, qui *Ius omnium in omnia statuit*; sic enim in tract. de Cive. cap. 13. §. 7. ait. *Status civitatum inter se naturalis, id est, hostilis est; neque si pugnare cessent, idcirco pax dicenda est, sed respiratio, in qua hostis alterius motum, vultumque considerans, securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii aestimat.* Sane in Supremum Legislatorem iniurius, & in se ipsum iniquus est HOBES, qui dum in *statu naturali bellum omnium in omnes* astruit, omne Ius ex humana societate eliminat.

IV.

Inter varias, quae de primo Iuris naturalis principio circumferuntur opiniones, illi adstipulamur, quae *triplicem amorem, erga DEUM scilicet, se ipsum, & proximum statuit*,

V.

Eumque *ordinatum*: hunc certe ordinem ipsa ratio naturalis suggerit, quae nobis dictat, quomodo erga DEUM, erga nos ipsos, & erga proximum charitas sit ordinanda.

A 2

VI.

VI.

Systema proin Hobbesianum, quod primum Iuris naturae principium in *conservatione sui* reponit, tanquam iuri naturae inimicum reiicimus; si enim primum (verbis Hobbesii in *Lib. de Cive. Cap. I. §. 7.* relatis utor) *iuris naturalis fundamentum est*, ut quisque vitam & membra tueatur, quantum potest. Mera confusio, & ipsa demum Iuris naturalis eversio sequitur.

VII.

Principio LEIBNITII ET WOLFII vel ideo non assurgimus, quia *ipsam hominis naturam perficiendam* pro fine ultimo constituit.

VIII.

Quantumcunque alii *Grotianam*, & *Pufendorfianam socialitatem* ad principii constitutivi subsellia evehere laborent, eam tameq; inde merito deturbandam iudicamus, quia in solo homine quiescit, nec ad naturalis legis conditorem assurgit.

IX.

Conservatio totius generis humani a WERNHERO stabilita vel ideo principii primi vices sustinere nequit, quia plurima post se trahit absurdita.

X.

A Principio constitutivo ad *indicativum* gradimur, quod ad cognoscendum *ordinem amoris* necessarium dicimus.

XI.

Nec multum in eo stabiliendo desudamus, cum *authoritas & ratio* se ipsas nobis ingerant.

XII.

Hanc ergo geminam in diiudicando iure naturali sequatur *necessum est*, quisquis viam regiam tenere, nec ad sinistras opiniones declinare cupit.

XIII.

XIII.

Hinc enormiter halucinantur Illi viri, qui seclusa omni divina autoritate Iuris naturae arcana ad nubilam solius rationis lucernam scrutantur. Sane non capio, quomodo Ius naturae sine illius authore concipi queat.

XIV.

Nec tamen ex eo, quod Doctores quidam Ius naturae perversant, illud è foro canonico penitus exturbandum, cum, sicut in omni iure positivo exponendo insignem usum habet, ita non minor rem Iuri Canonico tum publico, tum privato adferat.

XV.

Duellum, quamvis olim inter modos probationis vulgaris computatum fuerit; nunquam tamen ob defensionem honoris, et si alio modo aut medio nequeat vindicari, iure naturae licitum fieri potest.

XVI.

Id, quod satis etiam declaravit *Benedictus XIV.* in sua bulla, quae incipit: *detestabilem.*

XVII.

Evidem de existentia Iuris gentium neminem haec tenus dubitasse compertum est.

XVIII.

Fuere tamen aliqui, qui inter Ius gentium primaevum, & secundarium subtilius, quam solidius distinquentes illud cum Iure naturali coincidere defendebant.

XIX.

Nos autem, dum hanc distinctionem velut inutilem, & heri ac nudius tertius excogitatam reiicimus, Ius gentium proprie, & rigorose sumptum à Iure naturali distingimus.

XX.

Legatus de Iure gentium inviolabilis, si in ipso legationis loco contra Rempublicam, vel summum illius Principem atrociter delinquit, non est ad suum Principalem remittendus, sed in loco delicti puniendus.

XXI.

Quidquid sit de famosa illa *ratione status*, solam potentiam crescentem vicinae gentis inter iustas bellorum causas computari non patimur.

§. II.

Ex Iure Ecclesiastico tam publico, quam privato.

I.

Quiquid Protestantes, eorumque sequaces contra hierarchiam Ecclesiasticam effutiant, eo unice connitentes, ut omnimodum Episcopos inter, & reliquos Clericos aequalitatem induant.

II.

Nos nihilominus contra iniquas Eorum cavillationes hierarchiam tum ordinis, tum iurisdictionis in ecclesia iure divino institutam defendimus, in qua

III.

Romano Pontifici tanquam Supremo hierarchae Primatus non solum honoris, sed etiam iurisdictionis competit.

IV.

Num Regimen pure monarchicum sit optima regiminis forma, non definimus.

V.

Illud tamen in ecclesia Aristocracia temperatum propugnamus.

VI.

Hinc sequitur Episcopos non esse meros Pontificis vicarios, sed veros hierarchas, qui suam iurisdictionem immediate a Christo acceperunt.

VII.

Cum Ius ecclesiasticum sit complexum ex variis regulis, non solum scripturam & traditionem, sed & canones conciliorum, summiorum Pontificum decreta, ac Sententies Patrum pro fontibus Originariis illius agnoscimus.

VIII.

VIII.

Inter varias collectiones, quae pro primitiva Ecclesia circumferuntur, vel maxime recensentur canones Apostolorum, qui pereram Apostolis, ut Authoribus adscribuntur.

IX.

Ilos tamen propter antiquitatem summa veneratione dignos esse non inficiamur.

X.

Ut epistolas Primorum Pontificum à Clemente I usque ad Siricum (exceptis paucis) tanquam Genuinas non recipiamus, gravia persuadet momenta.

XI.

Esto quod per plura saecula fuerint in quieta possessione sua authentiae.

XII.

Decretum Gratiani authoritate *Pii IV. Pii V. & Gregorii XIII.* recognitum, necdum tamen ab omnibus naevis castigatum est.

XIII.

Quare nunquam in regula vim legalem obtinere potuit in vanum ergo laborant illi, qui hoc decretum ex adprobatione Pontificia ad dictatoris subsellia evectum esse propugnant.

XIV.

Si antiquorem, & noviorem Ecclesiae praxin intuear, ad obligationem legis ecclesiasticae pro universa ecclesia inducendam non videtur mihi sufficere promulgatio Romanae solum utut solenniter facta.

XV.

Alexander VII bene damnavit propositionem, quae legem sine acceptatione populi non obligare afferuit.

XVI.

Haec tamen censura nostram non ferit sententiam, quae ad obligationem legis requirit acceptationem Episcoporum; his enim bono suarum dioeceseon invigilare incumbit.

XVII.

XVII.

Placitum Regium simpliciter non adprobamus: ex illius vero usu moderato Ius principum in sacra erui posse negamus.

XVIII.

Cum modus Ecclesiis de Praelato providendi a Christo Domino non sit stabiliter determinatus, eum inter res disciplinae computamus.

XIX.

Esto, quod populus viacum Episcopis & Clero antiquitus electionibus adfuerit: iure tamen in oriente saeculi IV. & V. & in occidente posterioribus temporibus fuit exclusus. Immerito iam Protestantes conqueruntur de iniuria per hanc exclusionem populo illata.

XX.

Ius eligendi Romanum Pontificem *Carolo M. aut Ottoni I.* ab Ecclesia concessum fuisse, hactenus idoneis testibus, & tabulis non fuit probatum, nam *Canoni 22. & 23. dist. 63.* suam denegamus authentiam.

XXI.

Male, & sine causa Augustanae Confessioni addicti iuramentum illud, quod Episcopi in Consecratione, aut Archiepiscopi in receptione pallii summo Pontifici praefstant, tanquam vasallitium, Imperio, & Imperatori praeiudicium criminantur. An non ipse Imperator citra Imperii praeiudicium Romanae sedi; se iuramento obstringit?

XXII.

Ius Civile praescriptionem intuitu utilitatis publicae introduisse, nos non latet, in eo tamen bene fuit a iure Canonico correctum, quod etiam praescriptionem cum mala fide admiserit.

XXIII.

Episcopos, & omnes Curam animarum habentes iure divino ad residendum obligatos esse, mihi ex Concilio Tridentino certissimum est.

XXIV.

XXIV.

Secus de beneficiatis non curatis sentiendum, quos Ius duntaxat ecclesiasticum stringit ad residentiam.

XXV.

Si originem beneficiorum indagamus, saeculo VI. quan-
dam illius umbram deprehendimus, Illis quippe temporibus ter-
rulas quasdam, ac praedia pro congrua sustentatione Clericis con-
cessa esse, *ex can. 16. q. 1 caus. 61, & ex an. 23. Concilii Aure-
lianensis I docemur.*

XXVI.

Beneficiorum tamen collatio ex primaevō iure ad Episco-
pos pertinet.

XXVII.

Cum clerici non sint Domini reddituum superfluorum, il-
los ex iustitia ad causas pias erogare tenentur.

XXVIII.

Proin nequit introduci consuetudo, quae clericis ad causas
profanas testantibus in conscientia patrocinetur. Ex his facile
liquet, quid de vaga hac praxi, qua clerici passim ad causas pro-
fanas testantur, sentiamus; non enim quid fiat, sed quid fieri
debeat, attendimus.

XXIX.

Per quinque priora Ecclesiae saecula decimas inter volun-
tarias oblationes fuisse, nemo historiae peritus negabit: saeculo
autem VI exeunte primum de decimis solvendis praeceptum
emanavit.

XXX.

Hinc decimae in sensu proprio acceptae in Novo testa-
mento Iuris duntaxat ecclesiastici sunt.

XXXI.

Ex eo tamen male quis inferret, Ius decimandi à laicis
præscriptione adquiri posse.

B

XXXII.



XXXII.

Si Laicus vel etiam ecclesiasticus Ius decimandi contra Parochum habet: nihilominus decimae Novalium proprietalium iure communi in perpetuum, more Patrio ad Triennium Parocho adjudicantur.

XXXIII.

Licet iuri Afyli nemo, nisi in historia & Sacris literis hospes audire velit, venerandam antiquitatem denegare queat: in Nova tamen lege non iuri naturali aut divino, sed humano suam originem debet.

XXXIV.

Criminationes & calumnias, quas cum haereticis quidam Ecclesiasticae Immunitatis Mastryges in Ius Afyli eructant, satis refutârunt constitutiones Gregorii XIV. & Benedicti XIII.

XXXV.

Non obstat libertati sponfalibus intrinsecæ & essentiali, si his adiiciatur paena ab iniuste resiliente solvenda.

XXXVI.

Soli potestati ecclesiasticae competit ius statuendi Impedimenta dirimentia matrimonii, & causas matrimoniales iudicandi: gratis proin & absque fundamento Lutherus hanc potestatem Principibus saecularibus adiudicavit.

XXXVII.

Matrimonia Protestantium sine Parocho, & testibus celebrata in illis locis, in quibus Tridentinum aliquando fuit promulgatum, sed nunquam receptum, aut contraria consuetudine abrogatum, probabilius valent in ratione contractus, si modo aliud Impedimentum saltem iure divino, aut naturali dirimens non subsit.

XXXVIII.

Non attenta praxi, qua res benedictæ passim in contrarium deducuntur, talium rerum Sacrarum venditionem, & emptionem simoniacam, ac omni iure prohibitam declaro.

XXXIX.

XXXIX.

Nec Simoniae labem effugit, qui dat temporale pro Spirituali, aut vicissim, etsi temporale praecise ut motivum ad adquirendam rem Spiritualem det.

XL.

Homicida est, qui pro defensione famae, & bonorum iniustum aggressorem occidit.

XLI.

Ufurae mere lucratoriae naturali, divino, ac humano iure sunt prohibitae.

XLII.

Quare nulla lege, aut statuto publico possunt fieri licitae.

XLIII.

Lex Aquilia, etsi solum iuridica culpa intervenerit, post sententiam in conscientia obligat.

§. III.

Ex Germaniae Concordatis.

I.

Concordata Germaniae merito particularibus & Novioribus Germaniae legibus accensentur: hinc ex ratione veri pacti publici Pontificem aequem, ac nationem Germanicam stringunt.

II.

His neque ex potestatis plenitudine derogare valet Summus Pontifex.

III.

Valere praescriptionem contra concordata, maxime quoad collationes beneficiorum in mense Papali vacantium, ex Receſſu concordatorum inter Serenissimam Domum Bavaricam, & Reverendissimos dioecesum Ordinarios initorum liquido demonstratur.

B 2

IV.



IV.

Quam exosa fuerit omni tempore beneficiorum pluralitas, satis Conciliorum decreta, & Pontificum constitutiones loquuntur, inter quas non ultimum tenet locum Extravagans execrabilis *Ioannis XXII.*, quae vitiosam hanc pluralitatem reprimit.

V.

Interim male ad utrumque beneficium extenditur; nam si prixin & ius commune consulamus, secundum tantum: si literam concordatorum inspiciamus, primum tantum est reservatum.

VI.

Si quis electus vel nominatus ad Episcopatum effective talem suum beneficium prius habitum ante confirmationem Pontificiam resignet, hoc non subiacet reservationi, et si regula cancellariae 26 talem resignationem fieri prohibeat.

VII.

Similiter Bulla retentionis à Pontifice promotis concessa reservationem ex promotione inductam extinquit.

VIII.

Dignitates post Pontificalem maiores in cathedralibus, & Principales in collegiatis Ecclesiis vi concordatorum non cadere sub reservationem, ex eorum litera, & publicis documentis probamus.

IX.

Menses ordinariorum in concordatis ita stabiliti sunt, ut praeventiōnem, vel concursum Pontificium ex aſſe excludant.

X.

In dubio, an beneficiatus in Mense Papali, an ordinarii collatoris decesserit, in favorem ordinarii pronunciamus.

XI.

Annatae suas cunas potissimum debent *Ioanni XXII.* & *Bonifacio IX.*, quibus praelusit *Clemens V.*: huic vero maxime Episcopi Angliae.

XII.

XII.

De illarum abrogatione multum in Concilio Constantiensi, & Basiliensi disceptatum est, donec tandem suam normam & iustum moderamen in concordatis Germaniae acceperunt, quae Annatas vitio Simoniae carere agnoverunt.

§. IV.

Ex Iure Civili.

I.

Iudex tanquam vir bonus & aequus nequit stante aequali probabilitate in favorem amici dicere sententiam: multo minus ei licitum est pecuniam accipere, & in favorem dantis iudicare.

II.

Transactio, quae tanquam oportunum finiendarum litium remedium adinventum fuit, nec in casu laefionis enormis, seu ultra dimidium potest rescindi.

III.

Si lis cum reo delinquente nondum sit contestata, & ille interim moriatur, actio rei persecutoria ex delicto descendens de Iure Civili non transit ad haeredes in solidum.

IV.

Etsi filius familias, si sit maiorenns, ex omnibus contristibus obligetur, speciali tamen favore per Senatus Consultum Macedonianum gaudet, cuius exceptione se in fore externo tueri potest.

V.

Interim in foro conscientiae per idem Senatus Consultum non absolvitur.



VI.

Sicut tamen Mulier per Vellejanum,

VII.

Cui de suo beneficio satis edocta non solum de Iure Bavari-
co, sed etiam communis renuntiare potest.

VIII.

Uxor ratione dotis gaudet speciali privilegio, ut omnibus
creditoribus, etiam expressam hypothecam antiquiorem habenti-
bus p[re]feratur.

IX.

Feripetae feras non faciunt suas, maxime de iure Patrio.

§. V.

Ex Iure Publico Imperii Romano Germanici.

I.

Collegium Electorale à *Gregorio V.* Romano Pontifice, &
Ottone III. Imperatore institutum fuisse, hactenus nondum fuit
demonstratum.

II.

Quamquam Episcopi regulariter ante obtentam confirmationem se nequeant immiscere administrationi, in Germania tamen
ante illam exercent Iura status.

III.

Fides in pace Religiosa, & Westphalica data sancte servan-
da est: bene proin utriusque pacis valorem defendimus, licet ex
aliis principiis, quam à Protestanticis defenditur.

IV.

Nec huic valori obstent contradictiones Pontificum, quae
nihilominus suum sortiuntur effectum.

V.

Ius reformandi illimitatum, quale A. C. addicti ex pace
Religiosa deducunt, expressae pacis literae repugnat.

VI.

VI.

Imo ius reformandi statibus Imperii etiam Saecularibus in pace Westphalica concessum est Ius novitium, in facto magis, quam iure fundatum.

VII.

Ius primarum precum, quod soli Imperatori, non etiam Vicariis sede vacante competit,

VIII.

Fundatur in longaeva consuetudine, non tamen omnino independenter ab indulto Pontificio.

IX.

Ius hoc primarum precum etiam quoad ecclesias Protestanticas, vel mixtas, mediatas, vel immediatas Imperatori in pace Westphalica stabilitum est. *Art. 5. §. 18. & 26.*

X.

Nec in mediatis Ecclesiis hoc Ius denegari posse arbitramur, et si die prima Januarii anni normalis 1624. illud actu non exercuerit, dummodo in eiusdem possessione fuerit.

XI.

Princeps Protestanticus in capitulis mixtis ex nullo iure menses Papales potest praetendere, sed Ius conferendi canonicum in dictis mensibus sublato per pacem Westphalicam obice Pontificio reversum est postliminio ad Capitula.

XII.

Per bullam auream videtur Patri Electori adempta esse potestas, filio dandi tutorem per testamentum.

§. VI.

Ex Iure Feudali & Criminali.

I.

Ufus investiturarum per Reges, & Imperatores non est improbandus: nec tamen immerito investiturae per annulum & baculum fuerunt abrogatae vi paeti Callistini,

II.



II.

Cuius valor à Protestantibus gratis impugnatur.

III.

Origo Regaliae obscura est, & videtur ex feudis descendere, cuius usus, esto, utcunque fuerit licitus, aliquoties in abusus degeneravit.

IV.

Hinc iuri Regaliae bene, & legitime renunciarunt *Otto IV.*
Fridericus II. & *Rudolphus I.*

V.

Num idem Ius possit extendi ad Ecclesias ab eo hucusque immunes, acriter disputatum fuit Saeculo elapso, & iure contra extensionem exceptum.

VI.

Ius spolii, quod titulo feudali palliabatur, iure fuit abrogatum.

VII.

Meras presumptiones vehementissimas sufficere, ut Iudex in causa Criminali ad ordinariam paenam procedere possit, nobis indubitatum videtur.

**Ut in omnibus glorificetur DEUS,
& SS. Patriarcha Benedictus.**

